

stratus neque alia volgo cupienda venalia erunt. ad 4
hoc providendum est tibi, quonam modo Italia atque
provinciae tutiores sint: id quod factu haut obscurum
est. nam idem omnia vastant, suas deserendo domos 5
et per iniuriam alienas occupando. item ne, uti adhuc, 6
militia iniusta aut inaequalis sit, cum alii triginta, pars 6
nullum stipendium facient. et frumentum id, quod antea
praemium ignaviae fuit, per municipia et colonias illis
dare conveniet, qui stipendiis emeritis domos rever-
terint. 10

Quae rei publicae necessaria tibi que gloriosa ratus 7
sum, quam paucissimis absolvi. non peius videtur pauca 8
nunc de facto meo disserere. plerique mortales ad iudi- 9
candum satis ingenii habent aut simulant: verum enim
ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus 15
animus, vix satis apertum os aut lingua prompta vide-
tur, quae meditata pectore evolvat. quibus me sub-
iectum haud paenitet, magis reticuisse pigeret. nam 10
sive hac seu meliore alia via perges, a me quidem pro
virili parte dictum et adiutum fuerit. relicuum est op- 20
tare uti quae tibi placuerint ea di immortales adpro-
bent beneque evenire sinant.

II.

1. Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit 1
consilium dare regi aut imperatori, postremo quoquam
mortali, quous opes in excelso sunt, quippe cum et 25